

mali (\*) excutiunt. Haec igitur sunt, quibus tantopere nocent empirici haud corrigendo materiam morbi, sed paroxysmum, qui pedes infestat, sufflaminando. In illud nunc inquirendum erit, quorsum materia tam sinistre repulsa cedat, in quibus radicem agat visceribus, & inter quae symptomata necare soleat. Dum in extremis nervis concipio vitium, ab his repulsum ad maiores truncos, nunc circa origines eorum, nunc circa maiores plexus pectoris & abdominis haerere, & vbi imprimis per sedem vitalitatis disperguntur, motum sensumque, qui a nervis pendet, adeo necessarium, & simul partium illarum functiones, quae sine hisce subsidiis consistere nequeunt, turbare, & nunc paralyfin, nunc  
spa-

[a] Vid. III. HOFFMANNI Med. rat. Syst. T. II. C. VII. eiusdem de abusu & noxa medicament. soporif. & narcot. §. 1. seqq. eiusd. Dissert. de podagr. retr. §. IV. it. Prax. Med. IX. Reg. ubi de funesto exitu opiatis adhibitis differit: Viro hypochondriaco podagrico remedium in paroxysmo fuit praescriptum ex radice symphyti cum aceto alumine & camphora in forma cataplasmatibus, quod quidem dolores reddidit mitiores, sed ingentem membris lassitudinem conciliauit, subsequente appetitus prostratione, somno turbulento & dolore spasmodico sub scrobiculo cordis, qui ad costas spurias dextri lateris fixior haerebat. Medicus in consilium adhibitus liberaliorem opii dosin ad expugnandos dedit dolores infelici successu, cum dirissimis symptomatibus, contorsionibus, alui obstructione vsum clysterum respuente, vomitibus &c. Tandem vero tussim siccam, viriumque totalem prostrationem & convulsionem excipiebat mors ultima linea rerum it. TRINCAVELLIVS de Rat. Curand. part. human. corp. affect. Libr. XII. Cap. I.